

hoc expetitus, Apostolicis etiam litteris monitus, nec sic acquievit super hoc loqui, vel consilium dare, donec per ipsius tandem pontificis generalem epistolam jussus ab eo est, tanquam Romanæ Ecclesiæ lingua exponere, populis atque principibus. Deinde quod prædicandi officium, ab eo ex obedientia susceptum divinitus confirmatum sit tot tantisque miraculis ac signis. Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Denique quod si ex illa profectioe orientalis ecclesia liberari non meruit, certe celestis meruit impleri et lætari, nempe ab eorum morte qui in fructibus penitentiae purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt. Et quidem hoc ipsum est, quod Joannes, Cafæ-Marii abbas sanctus, sibi ex revelatione compertum Bernardo significavit. Sed qui moratur in vindicando Bernardo? Cujus tanta auctoritas, id jam dudum obtinuit apud omnes, etiam heterodoxos, ut ejus vita, eximia sanctitas, et doctrina communi omnium suffragio et existimatione sint approbatae. »

XXXVII. Eugenii PP., Ludovici regis, ac S. Bernardi acta pro bello sacro; viri Dei prædicatio; miracula; summa rei bellicæ præfectura huic uni delata, sed ab eo non admissa; Lingonenses pacificati; controversiæ alteri ejus interposita auctoritas.

393. Gaufridus, cœnobia quondam Claravallensis. S. Bernardi notarius, ac deinde ibidem abbas, lib. n ipsius Vitæ scribens de belli sacri a Christianis in Orientem inveci, Bernardo prædicationibus longe lateque classicum insonante, infelici successu, atque de obmurmuratione adversus virum sanctum exinde orta, amplum nobis reliquit campum ulterioris commentationis, qua hoc argumentum, in synopsi e Mabilonio paulo ante generatim propositum, magis singulatim et explicate illustremus. Quædam hujus sacræ expeditionis fundamenta jacta fuisse anno Christi 1145, narrat ibidem historicus Cisterciensis cap. 4: « Interea, ait, Eugenius in corde suo conferens, atque alta mente volvens quæ audierat de damnis in Oriente illatis ab infidelibus populo Christiano, Edessa capta, indeque Antiochia, atque ipsis Hierosolymis in discrimen adductis,.... contra Sarracenos... communia arma sumenda esse putavit. A Ludovico præventus, an præveniens, in dubio est. Certum, utrumque in ea convenisse, ut alter expeditionem publicaret, alter subiret: neuter sine Bernardo quidquam faceret. Sed nos Othonem, auctorem ejusdem temporis, et cunctis fere assistentem, qua apud omnes pollebat auctoritate, hæc ipsa referentem audiamus. » Libro I de Gestis Friderici I imperatoris cap. 34, ista memorat, quæ e novissima editione Mediolanensi accipimus, tomo VI a columna 668: « Ludovicus dum occulte Hierusalem eundi desiderium haberet, eo quod frater suus Philippus eodem voto astrictus, morte præventus fuerat, diutius protelare nolens propositum, quibusdam ex principibus suis vocatis, quid in mente voleret, aperuit.

394. « Erat illo in tempore in Gallia cœnobia Cla-

ravallensis abbas quidam Bernardus dictus, vita et moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientia litterarumque scientia præditus, signis et miraculis clarus. Hunc princeps vocandum, ab eoque, quid de hac re fieri oporteret, tanquam a divino oraculo consulendum decernit. Vocatur præfatus abbas, consiliumque ipsius super prædicti deponitur principis voluntate. Ille de tam grandi negotio, ex propria auctoritatis arbitrio responsum dare, frivolum judicans, ut ad Romani pontificis audientiam et examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missa ad Eugenium legatione, totum illi negotium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla revolvens, quod videlicet Urbanus hujusmodi occasione transmarinam ecclesiam, duasque patriarchales sedes, id est, Antiochiam et Hierosolimam, ab obedientia Romanæ sedis scissas, in pacis unitatem receperit, votis prædicti regis pro dilatando Christianæ religionis ritu annuit, auctoritate prædicandi, animosque eunctorum ad hoc commovendi, prænominate abbati, qui apud omnes Galliarum ac Germaniarum populos ut propheta vel apostolus habebatur, concessa. Unde ejus scriptum tale ad regem, principesque suos directum invenitur. » Mox illud idem auctor subjicit cap. 35, sed quia satis longum est, et a Baronio ac Manrico ad annum Christi 1145 typis commissum; ideo illud hic iterum non transcribimus.

395. Cæterum profectioem orientalem a rege Francorum Ludovico VII, propterea quod punctus esset ob incensam Vitriacensem basilicam, cum mille ac trecentis, quæ in eam confugerant, capitibus (videsit dicta superius, § 32) ex voto susceptam fuisse, perhibent scriptores apud Pagium ad annum Christi 1145, num. 13. Longum vero esset singulatim enarrare præparaciones, quæ in Gallia ante istam expeditionem sub dicto rege adhibitæ sunt, quales sunt conventus Bituricensis, de quo idem Pagius ad annum mox citatum, num. 12; item Vezeliacensis, ad annum 1146, num. 3. De priore autem tractans, « Odo, ait, de Diogilo monachus S. Dionysii, et in abbatiam ejusdem monasterii Sugerii successor, septem libellos edidit de Ludovici VII, Francorum regis profectioe in Orientem, a Petro Francisco Chiffletio in Asserto genere illustri S. Bernardi a tenebris erutos, quibus historia ecclesiastica locupletari potest. » Deinde ex istius Odonis libello primo nonnulla recitat de utroque illo congressu: sed de Vezeliacensi laudatus Odo varia scribit in eodem libello primo, quæ ad S. Bernardum pertinent. Præter alia vero, quæ apud Chiffletium legi possunt, sequentia inde delibo Odonis verba a pag. 11. « Anno, inquit, Verbi incarnati millesimo centesimo quadagesimo sexto gloriosus rex Francorum... ut dignus esset Christo, Vezeliaco in Pascha bajulando crucem suam aggressus est eum sequi... Abbas etiam (Claravallensis) Apostolica auctoritate, et propria sanctitate munitus, et convocatorum maxima multitudo... pariter adfue-

runt... Et quoniam in castro locus non erat, qui tantam multitudinem capere posset, extra in campo fixa est abbati lignea machina, ut de imminente circumstantibus loqueretur. Hanc ascendit cum rege cruce ornato.

396. « Cumque cœleste organum more suo divini verbi rorem fudisset, coeperunt undique conclamando, Cruces, cruces, expetere. Et cum earum fascem præparatum seminasset potius, quam dedisset, coactus est vestes suas in cruces scindere et seminare. In hoc laboravit quandiu fuit in villa. Supersedeo scribere miracula, quæ tunc ibidem acciderunt, quibus visum est id Domino placuisse: ne, si pauca scripsero, non credantur plura fuisse; vel si multa, materiam videar omisisse. Tandem edicto, quod post annum progredierentur, omnes ad sua cum gaudio repedarunt. Abbas vero sub tenui corpore, et pene præmortuo robustum tegens spiritum, ubicunque circumvolat prædicando, et multiplicati sunt super numerum in parvo tempore, cruce portantes. » De conventu Vezeliacensi adiri etiam potest Otto Frisingensis, modo designatus, cap. 36, de Landunensi ac Carnotensi Pagius ad annum 1146, num. 6, insigniores e Cruce signatis, num. 5, nominat. Colloquio Vezeliacensi coram non præsedit Eugenius papa: nam, referente Odone, pag. 12, « Optabat quidem ipse tam sancto operi manum primam præsens imponere; sed tyrannide Romanorum præpeditus non potuit: sancto vero Claravallensi abbati Bernardo curam istam delegavit. » Et vero Eugenium anno duntaxat 1147 in Galliam venisse, reperies apud Pagium ibi, num. 5, contra alios, quos citat pro anno 1146, ac corrigat ad istum annum, num. 2. Conveniri de hac re etiam potest Manricus ad annum 1145, cap. 4, num. 9.

397. Nuperrime mentio a nobis facta est conventus Carnotensis, quantum in rem nostram ibi satis; ita tamen, ut officium mirabile, quod in concilio ibidem congregato pro expeditione militiæ sacræ abbati sancto fuit commissum, novam hic mentionem merito requirat. Baronius ad annum Christi 1146 scribit de indictione ac celebratione istius concilii, nec non de insignibus personis in eodem congregatis; deinde vero quærit, num 3 « Quid actum ibi? » Et respondet: « Illud in primis plane mirandum, quod obstupesceret omnes audientes; dum videlicet ibi totius belli dux ipse sanctus Bernardus omnium consensu deligitur, qui principem militiæ agat, cui milites omnes et principes ipsi subjicerentur. Hoc decretum in concilio consensu omnium. Hæc ne tu putes fabulam; describendæ hic sunt litteræ S. Bernardi ad Eugenium papam de his agentis, primumque studium Eugenii ex scriptis ab eo litteris commendantis, eundemque ad ulteriora hortantis, atque ad postremum, quid actum in Carnotensi concilio enarrantis. »

398. Postremum hoc ex epistola sancti ordine 256, in qua legi possunt antecedentia huc transcribo: « De cætero, ait, verbum illud, quod jam, ni-

fallor, audistis; quomodo videlicet in Carnotensi conventu (quoniam judicio satis miror) me quasi in duces et principem militiæ elegerunt: certum sit vobis, nec consilii mei, nec voluntatis meæ fuisse vel esse, sed nec possibilitatis meæ (quantum melior vires meas) pervenire usque illuc. Quis sum ego, ut disponam castrorum acies, ut egrediar ante facies armatorum? Aut quid tam remotum a professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? Sed neque hoc meum est, vestram docere sapientiam. Nostis hæc omnia. Tantum obsecro per illam charitatem, qua mihi specialiter debitores estis, ne me humanis voluntatibus exponatis; sed, sicut singulariter vobis incumbit, divinum consilium perquiratis, et operam detis, ut sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. » Mabilionius in notatione ad hanc epistolam monet, de hoc conventu legendas Petri Venerabilis, et Sugerii epistolas.

399. Ut « primum Eugenius suscepit Bernardi litteras, » Cisterciensi historico referente ad annum 1146, cap. 5, « et bellicos cognovit apparatus, qui in Gallia incipientes, si modo promoveantur, facile sperarentur alias late provincias pervagaturi; prosperis ventis laxanda vela ratus, neque alio utendum nauta, quam eo ipso, qui, tam feliciter inchoasset navigationem, ad eundem Bernardum rescribit alacer, non sibi ipsius materiali gladio, non duetu bellico, quamvis id etiam Galli principes poseant, sed spirituali tantum opus esse, id est, gladio spiritus, qui, Apostolo teste, est verbum Dei: sacerdotali tuba cieat bellum, prædicet, arguat, exprobrat Christianis, loca nostræ salutis in arcto posita, periclitari fratres, hos trucidandos misere; illa sacrilege et impie profananda, dum ipsi desides, per otium luxuriantur, si non succurrant. Ingerat populis fidelibus furorem, seu verius zelum adversus infideles, et contra crucis contemptores concitet universum Christianum orbem. Hanc legatiam Eugenii quondam filii; nunc amici, nunc patris, quin et totius Ecclesiæ nomine illi injungi, subeundam ardentem viro Dei, qui nullis pro ipsius causa laboribus, nullis periculis unquam peperisset. Hæc et similia ab Eugenio ad Bernardum semel et iterum, qui cunctis aderat Goddefridus, mandata narrat. » Ita Manricus. Adeat lector Gaufridum biographum, lib. III, cap. 2.

400. « Soluta curia, et rege, » uti pergit idem Analista, num. 3, « ac Pontificibus reversis ad propria, ut necessaria ad iter præpararent, Bernardus Pater vicina loca et urbes, prædicans per provincias, non inæquali fructu peragravit. Et addebant voci ejus vocem virtutis miracula frequentia, quibus adeo fideles concitabantur, ut pene vacuas urbes, deserta oppida universi relinquerent, dum sanctum sequebantur, Christo sub crucis signo militaturi. » Præter Odonem, de miraculis paulo ante locutum, habemus testem irrefragabilem Gaufridum loco jam designato: nam de signis, quibus Dominus sermonem viri sancti confirmabat: « Sed quantis, ait, et quam

multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam et eodem tempore scribi coeperant; sed ipsa demum scriptorem numerositas scribendorum, et materia superavit auctorem: nimirum cum aliquando una die viginti, seu etiam plures ab incommodis variis sanarentur, nec facile ab ejusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus per servi tui tactum et orationem, ex ipsis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire, et mutos loqui. » De ingenti autem cruce signatorum multitudine juvat audire sanctum ipsum; hæc de illa Eugenio scribentem in epistola, quæ est ordine 247, apud Mabillonium: « Mandastis, et obedivi, et fecundavit obedientiam præcipientis auctoritas: siquidem annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vacuantur urbes et castella; et pene jam non inveniunt, quem apprehendant septem mulieres, virum unum: adeo ubique viduæ vivis remanent viris. »

404. Atque hæc quidem Bernardus in locis, in quibus erat præsens, effecit viva voce; a quibus vero aberat, quia ad illa ire, vel tam cito ire non poterat, quantum præstiterit igneis litteris, et ad accendenda fidelium corda accommodatis, quid memorem? Adis historicum Cisterciensem, cap. 5 citato, num. 8. « Cæterum, inquit, inter bellicos apparatus hoc ipso annæ Lingonenses episcopum et clerum inter se dissidentes paci reddidit. Et intercessit miraculum prævisum, et in miraculo prophetata pax, cum minus consequenda putabatur. » Res narratur apud Gaufridum, lib. IV, Vitæ, cap. 5, num. 239. In annalibus Cisterciensibus, cap. 6, exstant Eugenii papæ gesta adversus infideles, ac Bernardi ad hunc pro Samson archiepiscopo Remensi epistola, quæ inter Bernardinas a Mabillonio vulgaris est ordine 247. Ex iis autem, quæ laudatus editor ad illam notat: « Solemne quondam erat, ut reges, in præcipuis festis coronam acciperent festivo ritu, ut hic apud Biturigas ante Jerosolymitanam expeditionem. Bituricensis archiepiscopus id sibi in sua ecclesia deberi contendebat. Quare cum id Samson præstitisset apud Biturigas, reclamante Petro archiepiscopo, Eugenius usum pallii eidem Samsoni interdixit. Pontificias hac de re litteras habes in Patriarchio Bituricensi, ex aliis notis: » ex iis, inquam, perspicuum fit primo, hanc sententiam, cui regis Ludovici Junioris causa erat, immixta, latam fuisse non sine periculo, ne vel omnino refrigeret vel penitus extingueretur ardor erga dictam expeditionem. Secundo, suam recte auctoritatem interposuisse virum sanctum huic controversiæ componendæ, si præsertim ejusdem circumstantias expendas.

402. Audiamus Manricum, cap. 6, num. 7: « Erat Samson... integræ famæ præsul... et Ludovico inter charos semper habitus, tunc ab accepta corona charior adhuc... Turbavit regem, principes, et populum promulgata sententia, quantumvis

A justa, quantumvis ex Dei zelo profecta fuerit, et universam transmarinam expeditionem, quam adeo omnes ardebant, exasperato rege, a cordibus fidelium pene avulsit. Sed Bernardus... sive gratia in Samsonem, quem multa charitate prosequeretur, seu reverentia eximie religionis qua præcallebat inter alios Gallie præsules; seu tandem regi aut deferens aut timens; deferens, inquam, sancto illius zelo, quo per tot sumptus, tot labores proprios, tot pericula terræ marisque, orientalem parabat expeditionem; sed et timens, ne forte irritaretur contemptus a Pontifice... a proposito posset revocari;... paterna, qua pollebat, auctoritate, et libertate, qua semper utebatur in causis Christi, has ad Eugenium litteras scripsit non vacuas zelo, sed prudentia plenas. »

B § XXXVIII. *Sceleratus contra Judæos prædicator repressus, et ad frugem reductus a sancto Doctore; cautela contra falsarios litterarum ejus.*

403. Atrocissimam Christianorum adversus Judæos persecutionem in Gallia et Germania excitatam memorat Annalium Cisterciensium scriptor, c. 7. Causam dedit perfidæ istius sectæ barbarum facinus, quod apud Nortwicum in Anglia crucifixisset puerum quemdam nomine Willielmum: de quo tanquam martyre jam pridem actum fuit in Bolland, ad diem xxv Martii, tomo III, istius mensis, pag. 588 et sequentibus, re innexa anno Christi 1444. Persecutionis tuba fuit eremita cui nomen Radulphus, Christianos contra illos commovens prædicationibus suis. Opportunitas accessit ex orientali contra Saracenos expeditionem, quam S. Bernardus tantopere promovebat. Quia itaque res illa affinitatem quamdam habet cum historia belli sacri, de qua tractamus, eam in compendio referemus e laudato Annalium conditore. Judæis itaque ubique invisus Christiano potissimum populo maxime nocuit ferina illa innocui pueri carnificina. « Hinc quippe odia Christianorum, ait, in ipsos aucta, atque zelo in vindictam transeunte, et divitiarum, quibus abundabant, sæva cupiditas, multi in eorum perniciem conspiravere, et iræ excandescentis semel in Saracenos, tanquam in Christi hostes, facilius ad Judæos transitus fuit. Exstat epistola Petri Venerabilis ad regem Gallie scripta; severa in gentem, Saracenorum gente deteriori perniciosioremque, et quæ, ut non deputet ultimo supplicio, at opibus mulctandos persuadet, quas a Christianis per scelera extorsissent (dictæ epistolæ fragmentum in eisdem annalibus recitatur). Itaque Petrus, qui mitior, bonis omnibus; cæteri capite plectendos fore clamabant.

404. « At inter alios eremita quidam, Radulphus nomine, seu nimio zelo, seu captandæ plebis avidus, et prædicandi, quasi a Bernardo missus, minus usurpans, crucem contra Saracenos orientales, verum contra domesticos Judæos internecionem et mortem concionabatur. » Loquentem de eo audiamus Ottonem Frisingensem lib. I De gestis Friderici I imperatoris, cap. 37: « Inter hæc Rudolphus monachus, vir quidem religionis habitum habens, re

ligionisque severitatem solerter imitans, sed litterarum notitia sobrie imbutus, eas partes Gallie quæ Rhenum attingunt, ingreditur, multaque populorum millia ex Agrippina, Moguntia, Vormatia, Spira, Argentina, aliisque vicinis civitatibus, oppidis seu vicis, ad accipiendam crucem accendit; hoc tamen doctrinæ suæ non vigilanter interserens, quod Judæi in civitatibus oppidisque passim manentes, tanquam Christianæ religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinæ semen in multis Gallie, Germaniæque civitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit, ut plurimis ex Judæis hac tumultuosa seditione necatis, multi sub principis Romanorum alas tuitionis causa confugerent. Unde factum est ut non pauci ex ipsis hujusmodi immanitatem fugientes, in oppido principis, quod Noricum, seu Norenberg appellatur, aliisque municipiis ejus, ad conservandam vitam se reciperent. » Hactenus Otto de pseudoapostolo illo.

405. « Doluere episcopi, uti subjungit Manricus num. 4, sanguinem effusum, jus gentium violatum, desertas urbes, et se contemptui haberi ab uno monacho, qui sub prætextu prædicandæ crucis, ex instructo Bernardi, ipsis non solum inconsultis, sed renitentibus, totam fere Germaniam perturbaret. Unde et Henricus, Moguntinus præsul, querulas ad doctorem sanctum litteras dedit, quod talem hominem sibi substituisset (namque ita credebatur) per quem tam gravia, tam scandalosa per speciem zeli et justitiæ prædicarentur. Tunc sanctus Pater purgandæ tali calumniæ et nihilominus reprimendo serpenti malo, primum ad eundem Moguntinum, mox ad omnes episcopos Germaniæ scripsit epistolas. » Porro exemplar epistolæ ad Henricum archiepiscopum Moguntinum, quæ in editione Mabilloniana est ordine trecentesima sexagesima quinta, alias 323, inter alia sic habet: « Homo ille, de quo agitur in litteris vestris, neque ab homine, neque per hominem, sed neque a Deo missus venit. Quod si se monachum aut eremitam jactat, et ex eo sibi assumit libertatem, vel officium prædicationis, potest scire, et debet, quod monachus non habet docentis, sed plangentis officium; quippe cui oppidum carcer esse debet, et solitudo paradus. Hic vero a contrariis, et solitudinem pro carcere, et oppidum habet pro paradiso. O hominem sine pectore, o hominem sine fronte! Cujus stultitia elevata est super candelabrum, ut appareat omnibus, qui sunt in domo. Tria sane sunt in eo reprehensione dignissima: usurpatio prædicationis, contemptus episcoporum, homicidii approbati libertas. » Alia, quæ superaddit et quibus pseudo-doctorem istum arguit, ac vitam Judæo non auferendam defendit, invenies in dicta epistola.

406. Legi etiam meretur ibidem epistola 363, alias 322, qua vir sanctus, uti habet titulus: *Ad arma contra infideles pro defensione orientalis Ecclesiæ suscipienda hortatur*. Præterea contra turbulentum quemdam prædicatorem docet, Judæos non esse

PATROL. CLXXXV.

A persequendos, nedum occidendos. Inscritur archiepiscopis, episcopis, et universo clero et populo orientalis Franciæ, et Bajoariæ. Cæterum hæc epistola veluti classicum est ad sacram expeditionem, de qua Guillelmus Tyrius in belli sacri Historia lib. XVI, cap. 18, ista loquitur, S. Bernardum laudans, aliis elogiis superius eidem sancto militiæ sacræ præconi apud nos in præsentia materia datis conformia: « Vir, ait, immortalis memoriæ, et honestæ conversationis speculum, dominus Bernardus, Clarævallensis abbas, piæ in Domino, et per omnia amplectendæ recordationis, ad prædicti Deo placiti muneris executionem præcipuus eligitur: qui injunctæ sibi dispensationis sedulus exsecutor, ejusdem operis secum Deo amabiles trahens comministros, impiger, indefessus, licet corporis esset invalidi, tum propter jejunia pene continua, et subtilem nimis dietam, regna circuit, regiones obambulat, evangelizans ubique regnum Dei, » etc.

407. Sed ut ad Judæorum causam redeamus, non abs re fuerit audire Ottonem Frisingensem supra allegatum: « At præfatus Clarævallensis abbas hujusmodi doctrinam præcavendam docens, ad Gallie Germaniæque populos nuntios, seu litteras destinavit, in quibus ex auctoritate sacræ paginæ luculenter ostendit, Judæos ob scelorum suorum excessus non occidendos, sed dispergendos fore. Unde et Psalmographi testimonium induxit, in LVII (imo LVIII) psalmo dicentis: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos*. Et item: *Disperge illos in virtute tua*. Hactenus historicus ille cap. 38: Præsens de falso ac fallente doctore Radulpho argumentum absolvam, dum duo observanda ostendero. Alterum est, ejusdem Radulphi temeritatem non modo coercitam fuisse a viro sancto; sed ipsum etiam ab hoc fuisse conversum ad optimam frugem, teste Ottone Frisingensi lib. I citato, cap. 39, ubi scribit ista de nostro abbate: « Moguntiam quoque veniens, Rudolphum in maximo favore populi morantem invenit. Quo accersito, permonitoque ne contra monachorum regulam, per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis assumeret, tandem ad hoc eum, ut, sibi promissa obedientia, in cœnobium suum transiret, induxit. » Tametsi vero hoc sit actum quando sanctus Bernardus in Germaniam se contulerat, ut militiam crucis orientalem ibidem annuntiaret, hoc tamen loco illud cum præcedente Radulphi historia conjungimus, addentes insuper epiphonema Manrici cap. 8: « Sic Bernardus, quem non Ecclesiæ præsules, non principes, robore suæ potentiæ compescuerant, persuasione compescuit; et citius dictu venit, vidit, vicit, peccata submovens, servans peccatorem. Verum est tamen Moguntinum populum, qui Radulpho adhæserat, discessum ejus impatienter tolerasse; » lego enim apud Ottonem cap. 39 supra citato, rem illam accidisse « populo graviter indignante, et, nisi ipsius sanctitatis consideratione revocaretur, etiam seditionem movere volente. » Tantam sibi apud seductum populum auctoritatis conciliat pseudoapos-

tolus iste. « Sed, » ut subdit Manricus de sancto Patre, « continuit reverentia illius omnes; et quod semel Bernardus improbasset, approbare non ausis, simplex ipsius verbum pro lege fuit. » Et hoc primum, quod observatum volebam; cui nunc subiectio alterum.

408. Sanctus Pater in epistola 363 quam citabam, hæc scribit: « Illud quoque admonitos vos esse est necesse, fratres dilectissimi, ut, si quis forte amans primatum gerere inter vos, expeditione sua regni voluerit exercitum prævenire, nullatenus audeat; et si a nobis missum se simulet, non est verum; aut si ostendat litteras tanquam a nobis datas: sed omnino falsas, ne dicam furtivas, esse dicatis, » etc. Annalium Cisterciensium confector in hunc epistolæ locum animadvertit ista cap. 7, num 9: « Cardinalis Baronius dum hæc narrat, in ea sententia est, ut putet, sanctum, dum contestantur omnes, ne litteras a se missas acciperent, quas scirent esse falsas, a Nicolao sibi præcavisse, illo nimirum, quem præcedenti anno in Claravallis monachum susceptum; hoc, scribentem Bernardi patris nomine ad comitem et proceres Britanniae superius vidimus; quin et ejusdem sigillum, stylumque in grave ipsius et aliorum damnatum simulare consuetum, infra dicemus. Sed, uti recte observat idem Manricus, non crediderim, inquit, tam cito comprehensum a sancto Patre, maxime in ejus obsequio permansurum per annos aliquot. Neque est, cur ad incerta recurramus, cum certa habemus. Radulpho prædicante sub ejus nomine, quæ fuit querela Henrici Moguntini, præcavet sibi a simili fallacia. » In memoriam revoca quæ de Nicolao Arremarensi antea præmissi: de Radulpho autem nonnulla per prolepsim modo dixi; nonnulla dicam proxime, oblata opportunitate peregrinationis Germanicæ, quam S. Bernardus suscepit, partim ut eum compesceret, partim ut ejusdem regionis principes ad bellum sacrum excitaret.

§ XXXIX *Germaniam peragrat pro militia sacra; linguae gratia; perorantis vis ac fructus; miracula; colloquium cum S. Hildegarde; conversio Alexandri Coloniensis.*

409. Duplex causa virum sanctum in Germaniam evocavit. Utramque exprimit Otto Frisingensis laudatus, lib. 1, cap. 39, hæc memorans: « Igitur innumerabilibus in occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus prædicationis nomine movendum orientale Francorum regnum aggredi disponit, tam ob hoc, ut animum principis Romanorum sacrae exhortationis verbo ad accipiendam crucem emolliret, quam ut Rudolfo, occasione Judæorum crebras in civitatibus seditiones populo contra dominos suos moventi silentium imponeret. » Duæ igitur hæ rationes virum moverunt, ut in Germaniam se conferret: quibus duplex respondit fructus ab ipso intentus, præter alios non tam ab eodem sancto Patre quæsitos, quam sponte oblatos. Sed habenda etiam ratio temporis, quo illuc profectus est.

(1) Imo Vuolkemar clericus Constantiensis, post monachus.

410. Baronius ad annum Christi 1146, num. 25. « Ubi, inquit, ad finem præsens inclinaret annus, se contulit in Germaniam. » Sed Manricus ad eundem annum cap. 8, num. 2, longe probabilis esse censet, iter illud accidisse citius. Expendendas proponamus illius rationes: « Cardinalis Baronius sub finem hujus anni profectum putat, motus, ut credo, historia miraculorum ejus in proœmio, quæ a prima Dominica Adventus exordium sumit. Verum cum in eadem historia scriptum sit cap. 15, sanctum Patrem hujusmodi occasione exulasse a filiis fere per annum; et alias Claramvallem ingressum non multo post festum Purificationis anni sequentis; cogimur contra eundem Baronium dicere, aut adisse Tolosam contra Henricum, antequam in Germaniam se conferret, aut Germaniam ante finem anni intrasse: quamvis miracula non a primo ejus ingressu, sed ab accessu ad Constantiam scribi coperint, atque hoc longe probabilis iudico, nec non conformius ipsi narrationi. Utunque fuerit, Germaniam sanctus intrans utrumque scopum attentius intuebatur, ut et Christianos ciceret in Sarracenos, et a Judæis retraheret. » De his jam diximus, per prolepsim etiam relata conversione Radulphi, quæ proprie hujus erat loci. De illis vero nunc singillatim agendum superest.

411. « Constat in primis, » asserente Manrico cap. 8, num. 4, « sub finem mensis Octobris ad Wormatiam urbem commoratum, multos ad bellum sacrum cruce signasse. De ipso namque, sub initium Januarii anni sequentis eandem urbem rursus adeunte, Philippus (1) tunc archidiaconus, post monachus, qui præsens fuit, scribit in hæc verba, » quæ habentur infra libro sexto Vitæ, part. II, « Transierat.... per Wormatiam ante duos menses, et sermone habito innumerabilem ibi signaverat populum signaculo militiæ Christianæ. » Quid deinde? « Francordiae, » sicut pergit idem Annalista cap. 8, num. 4, « convenit imperatorem, quædam cum eo negotia tractaturus, ac velut obiter suggesturus, de bello Sacro, et semina jacturus, quæ postmodum Spiræ fecundarentur. Nec virum, quamvis sui reverentissimum obsequentissimumque, facilem invenit in hoc negotio: quin aversantem iter transmarinum; nec persuasibilem, ut ad illud adduceretur, non obscure testatur Philippus auctor, paucis, sed oculatus testis, cuncta describens, dum gesta Spiræ pandit in hunc tenorem lib. VI Vitæ, parte I, cap. 2: « Prius enim apud Frankenvoert regem secreto convenerat vir beatus, admonens ut ipse salutem propriam provideret in tempore misericordie uberis. Cui cum respondisset nullum sibi hujus militiæ inesse propositum, tacuit vir mansuetissimus, dicens non esse parvitas suæ importunius instare regie majestati. Hinc planum fit magna dicendi ac persuadendi vis opus fuisse sancto Patri, ut Conradum ita tunc anima comparatum, postea Spiræ fleteret in quam volebat partem.

412. At Francofurtum discedere in alia Germaniæ loca cum sancto non possumus, nisi ab ipso ibidem gesta narremus. Helmoldus presbyter in Chronicis Slavorum anno 1536, Francofurti editis cap. 60, pag. 128 et seq. hæc ita memoriæ prodidit: « Circa tempora dierum illorum ortæ sunt res novæ, et toti orbi stupendæ. Præsidente enim sanctissimo papa Eugenio, Conrado quoque tertio gubernacula regni moderante, claruit Bernardus Clarevallensis abbas, cujus fama tanta signorum fuit opinione celebris, ut de toto orbe conflueret ad eum populorum frequentia, cupientium videre quæ per eum fiebant miracula. Hic itaque egressus in Teutonicam terram, venit ad celebrem curiam Franckenvoert, quo tunc forte rex Conradus cum omni principum frequentia festivus occurreret. Cum ergo sanctus vir in ecclesiis

413. « Inter hæc offertur ei puer cæcus et claudus, cujus debilitatis nulla potuit esse dubitatio. Cœpit ergo vir sagacissimus intentare solerter si forte posset in hoc puero, sanctitatis ejus experimentum capere. Cujus incredulitati, veluti divinitus edoctus vir Dei, remedium providens, puerum præter morem jussit sibi applicari: cæteros enim verbo tantum consignavit; hunc vero exhibitum manibus excepit, oculisque morosa contrectatione visum restituit. Deinde genua contracta corripiens, jussit eum currere ad gradus, manifesta dans indicia recuperati tam visus quam gressus. » Hæc Francofurti a Bernardo gesta refert Helmoldus.

414. Inde, ut dicitur in Chronico Hirsaugiensi Trithemii, anno 1690, typis monasterii S. Galli recluso, ad annum 1147, pag. 415, « navigio descendens pervenit ad Bingios, ubi Hildegardis monialis virgo Christi devotissima... in monte S. Ruperti construxit cœnobium, cum qua dulces fertur de futura felicitate miscuisse sermones. Erat namque divo Bernardo sancta Christi famula et scriptis nota, et relatione multorum in Domino comprobata. Ad quam cum pervenisset, post orationes consuetas et salutationis obsequia, præcepit sibi volumina exhiberi, quæ illa divinitus inspirata conscripsit: quibus diligenter ex parte revisis, ultra quam dici potest admirans, dixisse fertur ad socios. « Hæc scripta non sunt humanitus adinventæ, nec potest ea moralis homo capere, nisi ad Dei similitudinem intus et in anima fuerit reformatus per amorem. Plura, quæ Sanctus tunc dixisse fertur, ibidem legi possunt. Et hic quidem fructus videtur ab eo non quæsitus dum in Germaniam tenderet, sed ultro, dum ibi jam degeret, oblatos, ut Hildegardem corroboraret adversus hominum obloquia; si ipsius cum illa collocutio vere subsistat: quod ideo addo, quia nonnulla eidem incommodant.

415. Etenim Manricus, relata cap. 8, num. 6 et 7, ex Trithemio epiloquutione ista, ibidem num. 7, eum ita concludentem recitat: « Sanctus vero Domini famulus Bernardus valedicens virgini Christi Hildegardi cœptum inter per descensum Rheni continuat, et in Bopardia paralyticum in medio populi, manu illi imposita curat. Inde per Mosellæ alveum Treverim conscendit, et tres cæcos, claudum unum, et surdam mulierem in eadem civitate, omni inspectanti populo, curavit. » At subdit prædictus historicus Cisterciensis: « Hæc ex Trithemio; quod attinet ad tempus, dubia fide: quippe ommissa a Philippo, qui ex colloquio Conradi cum Bernardo ad Francofordiam, gesta sancti describit per dies singulos. Sed neque sancta, ut ipse Trithemius ait in Chonico Spanheimensi, ante annum 1148, Bingionum terram [al. ad Bingos] cum conventu suo occupaverat. » De hac sancta actum est 17 Septembris in Bolland. et Martyrologio Romano; de qua etiam inferius recurret sermo. Hic non addimus epistolas duas, quarum unam ab illa ad sanctum Patrem; alteram autem ab hoc ad illam datas recitat num. 8. et 9, idem Manricus; major enim nobis se offert et longe illustrior rerum dicendarum copia in viro sancto Germaniam peragrante, armaque sacra annuntiante, nec non prodigiis frequentissimis ibidem coruscante. Ei itaque illic peregrinanti comites nos adjungamus, ita tamen, ut quæ pertinent ad loca Germanicæ peregrinationis, ejusdemque socios, ac creberrima, testatissima, omnisque generis miracula, tum ibidem, tum in reditu ad suos Claravallenses sunt a magno thaurmaturgo nostro edita, Dominò sermonem ejus confirmante tot tantisque sequentibus signis, non simus hic daturi, sed lectorem mittimus ad librum miraculorum istorum, quem infra recudemus, ac notis illustrare conabimur.

416. « Est tamen pro miraculo habendum, quod sancto viro prædicante natali lingua, Gallicana nimirum, cujus Theutonici omnino essent expertes, populum nihilominus audientem, sed non intelligentem, usque ad lacrymas provocaret ad compunctionem, » ut observat Manricus cap. 9, num. 5, rem confirmans e Cæsarii supparis auctoris homilia 16, De infantia Christi, e qua citat ista: « Tempore Conradi imperatoris cum S. Bernardus in Alemannia lingua Gallica prædicaret, ita populum accendit, ut uberrime fletet; et cum tunc ejus verba non intelligeret, postea cum interpret peritissimus sancti sermonem exponeret, populus non est motus. » Tanta videlicet erat potentissimi præconis, præsentis, loquentis atque ardentis vis. Hæc fortius confirmantur a Gaufrido lib. III Vitæ, cap. 1, num. 158, ubi de mirifica linguæ ejus gratia scribens, ita loquitur ad nostrum propositum: « Inde erat, quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, et ex sermone ejus, quænt intelligere, utpote alterius linguæ homines, non valebant, magis quam ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis in-